

uerit, vividos oculos et non vulgarem veteris scripturae usum adferat, necesse est.

CCCXI.

R. 2006 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 163. f. luculente et pulcre scriptus, rubricis distinctus, quondam fratrum Carthusiensium prope pragam, et dein Jo. Cantoris Wratislauien. Cancellarij Archiep. Decani sancti Apollinaris Pragen. duo continet Opera. I. Incipit *Feronimianum compositum per iohannem andree de bononia summum decretorum doctorem ad honorem beati ieronimi egregii doctoris ecclesie*. Praefatur, nescio quis, hoc modo: *Feronimianum hoc opus per iohannem andree urgente deuotione compositum in partes rite diuiditur — Ipsius vero partes sunt Quatuor — Primo autem ponit auctor sui admiracionem querulosam (non satis videlicet Hieronymum coli in Italia) Secundo ponit beati ieronimi legendam et miracula — Tercio per sanctorum et doctorum auctoritates Feronimum gloriosum extollit — Quarto — ipsius scripta et canones transumptos ex illis nominatim (excerpendo nempe) exprimit &c.* En igitur Operis methodum, quod congestit supra dictus Sec. XIV. clarissimus Jur. Can. Doctor, idemque D. Hieronymo addictissimus. Editionem ejus, teste *Mazzuchel-lio Vol. I. P. 2. p. 700.* factam a. 1482. f. l. f. rarissimam esse oportet, quod nunquam vidi. Codi-

ces plures mss. eodem loco referuntur. Initium est: *Feronimum iugiter allegamus. sed modice ueneramur. ammiror in hoc ytaliam defecisse. In qua sub omnium condolorum nominibus ecclesie pullulant. Et ultra V. lustra perquirens scire non potui. Feronimum ibi extra originis sue locum habuisse vel unicam, citus (praeter) troyam, de qua in huius partis talo dicitur. Nouissime tamen percepi, fore duas in tuscia et ducatu, de quibus in eiusdem partis calce submittam &c.* Cum prolixo loco *Alani de Planctu Naturae* Opus concluditur.

II. fol. 105. Alterum Opus hunc titulum praefert: *Incipit cronica fratris martini de ordine predicatorum penitentiarij domini pape et capelani de quatuor regnis majoribus et de summis pontificibus et romanorum Imperatoribus ex diuersis gestis ipsorum edita et composita.* Extat celebre hoc Chronicon *Martini Strepi* loco natali *Oppaviensis Silesii, diœi Poloni*, quod tunc *Conuentus Ord. Praed. Bobemici ad Poloniae Provinciam* pertinerent, multis in Bibliothecis mss. et saepius typis editum, sed communi Chronicorum fato passim interpolatum, breuiatum, productum. Videndi de eo omnium instar *Quetisi et Echaridi Scriptores O. P. T. I. p. 361.* ad quos *διαγωγῶν* meam exigam. Initium est: *Quoniam scire opera (tempora) summorum pontificum romanorum &c.* Codex est ex deductis ad *Johannem XXI.* ut hic dicitur, et pro

pro una et altera pagina habet uno et alio uolumine. Post Prologi verba: in alio ponendo Imperatores non inconcinne insertus est totus Tractatus, cuius jam Titulus meminerat, de Majoribus Regnis et praecipue Romano usque ad Neronem pagg. 15. et tum profequitur: *Et quia primo summo Pontifici id est Christo &c. Fol. 129.* habetur *Johannae Papissae Fabula. Fol. 137. p. 2.* post *Clementem IV.* cui addita est Canonizatio sancte edibige quondam ducisse polonie, quam non habet in hoc Pontifice sistens *J. Fabricii Caesaris Editio Colon. 1616. f.* sequitur illa Formula *Quetiso* memorata: *A Clemente predicto presens cronica stilum operis commutavit &c.* Dein procurrunt Pontifices usque ad *Johannem XXII.* cuius solum nomen Codex exhibet. Cum vero *Martinus a. 1378.* excefferit, a *Nicolao III.* Continuator alius successit, qui *Bernardum Guidonis O. P.* abbreviasse videtur, ut suadet instituta collatio. Pontifices excipit Series Imperatorum et quidem a *Nerone;* alii enim, ut supra dixi, jam praecessere. Sistit autem in *Alberto I.* et sic finit: *Rex igitur Albertus parum (in bello contra Wenceslaum IV. Bob. Regem) proficiens, de suis etiam plures amittens reuersus est ad propria. Wenzeslaus autem rex bohemiae sequenti anno prage diem clausit extremum. Anno regnorum suorum bohemiae IX. polonie V. Anno scilicet domini M^o CCC^o V^o. Hoc anno in die sancti Jacobi tantum diluuium circa*

*luthomissil factum fuit, ita ut multos homines aliquibus etiam domibus abductis inopinate miserabiliter submergeret. Hijs etiam temporibus rex francie (Philippus Pulcher) diuersa prelia flandrensibus intulit, sed ipsi eum in omnibus superantes et de aduersarijs multa milia trucidantes uictorialem gloriam reportare meruerunt. Explicit gestaromanorum Imperatorum. En igitur etiam hac parte Chronicon Martinianum productius, quam in Edit. Fabriciana supracit. quae in Friderico II. definit. Quid vero admiscet Bohemica? Studiose haecenus distuli, Lector! quae per totius Codicis oras sparsa sunt notatu digna, atque ea hic colligam. Ad finem Pontificum fol. 138. p. 2. legas: *Hic deficit cronica Jo. pape XXII. Benedicti XII. et Clementis VI. moderni pape. Currentibus annis Domini M. CCC. LI. Indictione tertia. Quo tempore hunc Librum scribere feci ego Bonsignore de Bononia decretorum doctor prage legens ordinarie decretales in studio generali ibidem. At quae fors Virum hunc Pragam detulit? Respondet ille sub finem Imperatorum fol. 163. ad nomen Wenceslai Regis ita commentans: cuius filiam (Elisabetham) habuit in uxorem Rex Johannes filius imperatoris Henrici comitis de lucimburgo. Qui Rex Johannes fuit pater Domini Karoli regis romanorum et Boemie hodie uiuentis. Ad cuius petitionem et uocationem ueni pragam pro lectura decretalium ordinarie Anno Domini M. CCC. L. Ego Bonsignore de Bononia de**

cretorum doctor. En Professore[m] Pragensem ex antiquissimis, Balbino non memoratum, jungendum Uberto de Lampugnano, quem Vol. I. P. 2. col. 1541. vivis reddidi. Plura porro ille sua manu etiam ad Hieronymianum notavit. Ita fol. 12. ad locum Amos: *Fuge in terram Juda et comede ibi panem et prophetabis ibi*, adjecit: *Nota pro me. Fol. 33. ad verba: de amaro semine literarum dulces fructus capio, sic: Ad hoc bene facit et concordat, quod alias dixi et recitavi in scolis in principio studii. Scholares meos alliciendo ad scientiam capeffendam. Dissiniens Scientiam in genere sic dicens. Scientia est arbor nobilissima, cujus fructus sunt dulcissimi, sed etiam radix amarissima. Et qui radicis amaritudinem non gustaverit, dulcedinem fructuum non habebit. Bonignore doctor. Fol. 69. p. 2. ad verba: Non tanta per victoriam sequitur gloria, quanta ignominia post ruinam; sic: Nota contra pepulenses (Pepoli) de bononia quondam Dominos. Fol. 92. ad verba: In eius aduentu omne bellandi studium confertur ad pacem, monetur: Nota pro Domino imperatore quando transibit in ytaliam. Quod factum a. 1354. triennio post scriptum Codicem. Atque haec ad Hieronymianum. Deinceps fol. 112. p. 2. ad verba de Augusto: et continuo germaniam aggreditur, adscriptum: Nota de boemia quod est in germania, nam germania protenditur de vngaria usque ad Renum. Fol. 129. ad Papissam delineata est ejus Figura*

cum addito: *iste papa fuit femina. Fol. 162. ad verba: prius eum vitam debuisse ponderasse, et singillatim ad tō ponderasse notatur: Istud est uerbum boemorum; nempe Wáziti. Unde concludo Supplementum hoc ad Martinum e quodam Chronico Bohemico verbum esse. Demum ead. pag. ad verba de Ottocari Vidua: suum militem nomine sauissum in Maritum accipiens, observavit Bonignorius: Non recepit in maritum, sed in amasum potius, ut a boemis percepi et audiui. Sed ita fuit dictum (in Codice) forte propter honestatem. Ad compingendum praeclarum hunc Codicem servit utrinque Folium chartaceum dereptum e Commodis Ruralibus Petri de Crescentiis L. V. de Pomorum cultura, quod Opus lat. et ital. saepius excusum est Sec. XV. Manus Autoris aetatem adtingere videtur.*

CCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 568 partim XII. partim XIII. eleganter exaratus, minioque distinctus hac Rubrica gaudet: *Incipit Epistola de VII. Gradibus Ecclesiasticis Beati Hieronimi Presbyteri ad Rusticum Narbonensem Episcopum. Obiit Hieronymus a. 420. ad sedem Narbonensem non ante an. 427. pervenisse creditur Rusticus. Igitur alia Exemplaria ad Damasum Papam, alia nemini inscripta sunt. Sed etiamsi faveret tempus, stilus egregii cetera Opusculi Hieronymianus non est. Atque istud argumentum plus valet, quam*